



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos  
Distributa

**Illsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCCCXX. Consummatio Prædicationis Christi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## MEDITATIO CCCCXX.

*Consummatio Prædicationis Christi.*

LUC. 21. V. 37, Matth. 26. V. 1.

**P**UNCTUM I. *Erat autem diebus docens in Templo: noctibus verò exiens, morabatur in monte, qui vocatur Oliveti.* Luc. 21. V. 37. Considera, Christum ultimis mensibus frequenter, & proximè ante Mortem tribus continuis diebus, tempus diurnum docendo exegisse in Templo Jerosolymitano, scilicet à Dominica Palmarum usque ad diem Mercurij; quamvis sciret sibi insidias strui, Auditores fore ingratiſſimos, & parùm profecturos propter duritiem & pertinaciam suam. Ita functiones tui officij pari diligentia & constantia obire perge, etsi parùm per illas efficias, & optatum fructum non consequaris, multosque in illis adversarios, hominumque ingratitudeſtatem sustinere cogaris. Ex eodem Christi Exemplo discce, nulli labori usque ad finem vitæ parcere, & propter Opera Charitatis erga Proximum, si necesse est, propriæ Devotionis Exercitia Spiritualia etiam in noctem differre.

**P**UNCT. II. Considera Christum noctibus in montem Oliveti secessisse Orationis gratia, sicut alias c. 6. V. 12. S. Lucas dicit: *Factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare, & erat pernoctans in Oratione.* DE I. Sic quando multitudine occupationum necessariorum à consueta Oratione & Spiritualibus Exercitationibus diurno tempore impeditus es, eas adhuc ante lemnium supple nocturno tempore, si fieri potest, vel certè, quamprimùm potes. Imitare etiam Christum



in eligendo loco & tempore opportuno pro Oratione, ut animo collecto, sursum elevato, à curis & negotijs libero, eam peragere possis. Insuper considera, Christum pro ijs, quos de die docuerat, de nocte preces fuisse: sic pro tibi commissis DEVM deprecari, & semen Doctrinæ Oratione rigare debes, ut optatum fructum ferat. Vel si Proximum tuum ratione statûs vel muneris tui nequeas juvare Doctrinâ, saltem Oratione juva, & imitare Christum, si non docentem, saltem orantem pro Salute Proximi. Denique perpende, si Christus pro Salute Proximi integris noctibus vigilavit, quàm vigilem te oporteat esse pro Salute propria. Itaque Christus non tantum Verbo, sed etiam Exemplo dixit: *Vigilate, & Orate.*

PUNCT. III. *Et factum est; cùm consummâsset JESVS Sermones hos omnes, dixit Discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & Filius Hominis tradetur, ut crucifigatur.* Matth. 26. v. 1. Considera, verbo *Consummâsset* significari, Christi Doctrinam fuisse consummatam, & omnibus numeris absolutam: itaque secundum eam vitam tuam institue, ut Perfectionem consummatam assequaris; & ita stude, legendo ac meditando Christi Doctrinam, in illa proficere, ut consummatam ejus notitiam obtineas. Eodem verbo *Consummâsset* indicatur etiam, Christum non tantum absolvisse suos Sermones, sed consummâsse, id est, Prædicandi munus ita complevisse, ut cum veritate dicere posset Joan. 15. v. 15. *Omnia, quaecunque audivi à Patre meo, nota feci vobis: quantum scilicet vos capere poteratis, & quantum Pater Cælestis voluit notificari.* Ex quo patet, quàm perfectè Christus Magistri munus erga Genus Humanum expleverit. Ex-



454 *Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.*

pende ergo, quid huic Magistro debeas, quantam  
Gratitudinem, quantum Amorem, quantam Obser-  
vantiam, Obedientiam, & Imitationem, qui Sermo-  
nes suos non tantum Verbo, sed Opere ipso consum-  
mavit; & sicut dixit, sic vixit. Cæpit facere, & do-  
cere, & cæpta consummavit, & suo Sanguine  
ac Morte consignavit.

*FINIS PARTIS SECUNDÆ.*



*INDE*